diuitiarum.vbi perit humilitas.quia ver
mis diuitum ſuperbia.vt ait Auguſtinus
Ideo ammonet propheta vt cauti ſimus
in diuitijs dicens. Diuitie ſi affluant.no/
lite cor apponere.ſcilicet ne per ſuperbiam
perdatis humilitatem. Sed periculum la
tronum eſt periculum deliciarum.que de
ſtruunt cordis quietem.vñ Oſee quarto.
Fornicatio et vinum ⁊ ebrietas auferunt
cor. Tertium periculum eſt ex genere.ſcili
cet ex generis nobilitate.vbi eſt zelus et i/
uidia ad inuicem.quia vnus eleuatur cõ/
tra alium.contra quos dicitur Malachie
ſecundo. Nũquid non eſt pater vnus om/
nium noſtrũ. Quartum periculum ex gen
tibus.id eſt.ex ſuperioribus.fratribꝰ.pa/
rentibus.qui ſepius impediunt profectũ
ſalutis. Unde ſaluator. Qui non odit pa/
trem ſuum et matrẽ ſuã.non eſt me dignꝰ.
Et Abacuc.ij. Ue qui edificant ſyon i ſan
guinibus. Quod faciunt illi qui oĩa vo
lunt facere propinquis et amicis. Quin/
tum periculum eſt in ciuitate.vbi ſunt diſ/
ſenſiones.conſpirationes.vbi perit pax ⁊
tranquillitas. Ps. Uidi iniquitatẽ et con
tradictionem in ciuitate. Sextum pericu
lum eſt ſolitudinis.et ſunt ſingularitates
vbi perit auxilium et ſolacium. Eccs.iiij.
Ue homini ſoli.quia cum ceciderit non
habet ſubleuantem ſe. Septimũ pericu/
lum eſt maris huius ſeculi.vbi perit cha/
ritas.ad Romanos.xij. Nolite conforma
ri huic ſeculo. In hoc mari magno et ſpa/
cioſo.ymo et periculoſo eſt ille magnus ce
tus dyabolus.de quo dicitur in Pſalmo.
Draco iſte quez tu formaſti ad illudendũ
ei. Contra quem precauendũ eſt ſemp ne
mergat nauẽ anime in profundum infer/
ni. Et eſt mirabile ꝙ quocũqꝫ ſe vertat ho
mo ſemper habet dyabolum ſibi aduerſuz
Nam ſi vult incedere per terrã in vita acti
ua.ſtatim dyabolus occurrit ſicut leo.cir
cuiens et querens quẽ deuoret.j. Petri.v
Si homo vult eleuari in celũ in vita con/
templatiua.ſtatim dyabolus occurrit vt
princeps tenebraruz harum.militans in
aere.et volitans inter celum et terram.vt
dicitur Ephe.vj.capitulo. Si vero ho/
mo vult aſcendere infra per conſideratio/
nem et meditationẽ penarum infernaliuz
ibi occurrit dyabolus.quia ibi eſt propri/
us locus eius. Et ſic ſemper homo habet
materiã exercitij cum eo. Secundo.quia
iſte mundus eſt ſuſpicioſus.ideo merito
in eo laborandũ eſt et ambulandum cau/
te. Neſcimus eñ quis ſit amicus quis ini
micus. Ezech.ij. Cum ſcorpionibus ha/
bitas. Et apoſtolꝰ Paulus dicit.ꝙ ſumꝰ
in medio nationis praue. Semper ergo
homo debet eſſe in labore prouidendo de
ſe.quia ſemper eſt in ſuſpitione. Tertio.qa
iſte mundus eſt non tm̃ ſuſpicioſus ſꝫ eti/
am omnino doloſus. Unde Hieremie.ix.
Habitatio tua in medio ydoli in dolo re/
nuerunt me ſcire. Hinc Hieremie.ix. dici
tur. Unuſquiſqꝫ ſe a proximo ſuo cuſto/
diat.⁊ in omni fratre ſuo non habeat fidu
ciam.quia omnis frater ſupplantans ſup/
plantabit.et oĩs amicꝰ fraudulẽter incedet
Et Abdie.in pn. Qui comederit tecũ po/
net inſidias ſubtus te.non eſt fiducia i eo
Adhuc enim moratur Judas cũ chriſto

in menſa.ad huc manꝰ tradentis nobiſcuꝫ
eſt.ſicut predixit ſaluatoꝛ . Tradet autem
frater fratrem in moꝛtē.et eritis odio om
nibus hominibꝰ propter nomen meū. Et
certe ſic eſt ſi volumus aduertere. Certum
eſt ꝙ qui vult hodie veritatem chꝛiſti ver/
bo et facto dicere aut annūciare et docere
odio habetur a pꝛincipibꝰ et ſeculi homi/
nibus.ymo etiam a pꝛopꝛijs parentibus.
iuxta illud apoſtoli. Omnes qui pie volūt
viuere in chꝛiſto perſecutionem patient̄.
Ita homo ex omnibꝰ iſtis habet materiā
laboꝛis ſi voluerit ſe exercitare in ea. Un/
de merito hominibus dicitur. q̄d hic ſta/
tis.hic ſcilicet in hoc mundo tam pericu/
loſo.tam ſuſpitioſo.tam doloſo . cum ha/
beatis ſolicitos conductoꝛes.adiuuātes .
auxiliatoꝛes.et mercedis pꝛomiſſoꝛes. Et
tantum de pꝛimo.

Dixi ſecundo ꝙ in v̄bis pre
miſſis argui/
tur humana negligentia ex parte tempo/
ris congruentis.cū dicitur.tota die. Si/
quidem valde opoꝛtunum eſt tempus vi/
te preſentis. Eſt eīm ad modum diei clariſ
ſime . De hac die dicitur in Pſalmo.ciij .
Oꝛtus eſt ſol et congregati ſunt . et in cu/
bilibꝰ ſuis collocabunt̄. Et ſequitur. Exi/
bit homo ad opus ſuum .et ad operatio/
nem ſuam vſqꝫ ad veſperam. Exponit In
nocentiꝰ. Oꝛtus eſt ſol.ſcilicet iuſticie chꝛi
ſtus.quod factum eſt reſurgendo.quādo
clarificatus eſt toto oꝛbe. Et ſequit̄ . Exi/
bit homo ad opus ſuum.id eſt.quilibꝫ iu/
ſtus et fidelis ad opus bonum .vt incipi/
at bene opari dū licꝫ.nec tm̄ ad vnū opus
incipiendum.ſed etiam ad multa perficiē/
da.vnde addit p̄s . et ad operationem ſu/
am multiplicem.quia dedit eis poteſtateꝫ
cuiuſlibet operis.ſicut dicitur Luce.xix.
et hoc vſqꝫ ad veſperā.id eſt.vſqꝫ ad moꝛ/
tem ſuam. De qua Joh.ix. Uenit nox qn̄
nemo poteſt operari. Uel vſqꝫ ad veſperā.
id eſt.vſqꝫ in finem mundi.in quo grauis
impetus inferetur ab antichꝛiſto.intantū
vt vix liceat tunc bene operari. Tanta eīm
erit perſecutio ī illis diebus ꝙ ſi fieri poſ/
ſet etiam electi mouerentur . ſicut dicitur
Mathei.xxiiij. Quādiu igitur hec dies lu
cet nobis operemur bonum . ne tenebꝛe
moꝛtis nos compꝛehēdant. Notanter au/
teꝫ dicit pꝛophera. Exibit homo ad opus
ſuum .id eſt. ad bonum . quod pꝛopꝛie eſt
ſuum.quia naturaliter homini ineſt appe/
titus boni.vt dicitur in de Con.ex.j. Ethi
coꝛum.ꝙ ratio ſemper depꝛecatur ad op/
tima. Hinc eſt ꝙ omne opus bonum tan/
tum eſt pꝛopꝛie opus hominis .peccatum
autem eſt opus dyaboli .quia per ipſū pꝛi
mo cōmiſſum eſt .et per ipſum in mundo
adinuentum . Juxta illud. Inuidia dya/
boli moꝛs intrauit in oꝛbem terrarū. Sꝫ
reuera pauci ſunt hodie qui pꝛopꝛiū opus
laboꝛant.oēs enim fere per totum hunc
diem vite pꝛeſentis intendunt operi alie/
no.ſcilicet dyaboli.carnis vel mundi. Nā
quidam laboꝛant circa honoꝛes .quidam
circa voluptates . quidam circa diuitias.
pauci autem ſunt qui circa virtutes ⁊ ope
ra ſalutis. Sed certe veniet veſpera .veni
et ſero moꝛtis noſtre quādo vnuſquiſqꝫ vi
debit fructum laboꝛis ſui . Unde Anſel/
mus in libꝛo de ſimilitudinibus ponit.
In hac vita ſunt tria genera laboꝛantiuꝫ
a mane vſqꝫ ad veſperam in modum mo/
lentiuꝫ . Hoꝛum nanqꝫ pꝛimus quicquid
molit ponit in ſaccum et abſcondit. Alter
vero partem in flumen negligentie cade/
re ſinit.partem vero vento rapi et diſper/
gi permittit. Tertius auteꝫ quicquid mo/
lit impetus fluminis ſecum tollit.vel ven
tus diſſoluit.veniente autē veſpere quan/
do a laboꝛe ceſſatur et fructus laboꝛis in
quiritur.quid putas ſingulos habituros
Qui farinā totam ſeruauit totum laboꝛeꝫ
ſuum bene recognouit . Qui vero partem
recollegit.inde letatus eſt quod habuit.in
de meſtus eſt quod flumen amiſit. Qui ve
ro totum amiſit.eo triſtioꝛ fuit. Moꝛa
liter flumen curſus ſeculi deſignatur. ven
tus vana glo꜓ia .molendinum quod tota
die molit.pꝛeſens laboꝛ eſt huius ſeculi.
qui a mane vſqꝫ ad veſperam nunqꝫ finit̄.
Mane nobis erat quando nati ſumus.
Ueſpera vero erit quando per moꝛtis de
bitum de hinc tranſibimus. Tempus igi
tur pꝛeſens dies eſt in qua laboꝛare debe
mus.vt in veſpera viuamus. Et ſicut mo
la circūducta ad eandeꝫ ſemper locum re
uertit̄. Sic laboꝛ iſte ſingulis annis mo/
re ſolito reiteratur. Modo nāqꝫ arat̄.me/
titur.ſeminatur , panificatur ,comeditur,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Et iterū ad idem reuertitꝰ. In veſpera aūt
quando dicetur. Uoca operarios letabū/
tur iuſti. pura ſeruata farina tota ſua. alij
vero qui non totam eam ſeruauerunt. in
hoc meſti erunt. leti tamen qꝛ ex alia parte fru/
ctificauerūt. Qui vero pro laude vanitatꝫ
ſue fecerūt. iſti farinā totaliter perdiderūt
et meſti erunt. quia nullum fructum attu/
lerunt. Iſti ſunt qui dicent Per totam no
ctem laborantes nihil cepimus Luce. v.
D Si igitur quis querit ꝓpter quid
in preſenti vita laborare debet. Certe re/
ſpondeo ꝙ propter tria. ſcilicet propter cō
uenientiam temporis. propter penitentiā
cōmiſſi ſceleris. et propter vehementiam
promiſſi muneris. De primo patet. Nam
vita preſens eſt tempus per modum vigi/
lie precedentis ad feſta ſequentia. ſicut ait
Holgoth ſuper librum ſapientie caplo. ix.
In vigilijs ſolent homines laborare fer/
uenter et diu. vnde et prolixiorem horam
comedendi differunt quandoqꝫ vſqꝫ in ſe
ro. In feſto vero ſolent quieſcere ꝛ ſolacia
ri. Sic in preſenti vita tanqꝫ in vigilia de/
bemus abſtinentiam longam tenere. Iux
ta illud. j. Pet. v. Sobrij eſtote et vigilate.
Et. ij. Corinth. vj. In omnibus exhibea/
mus nos ſicut dei miniſtros. in ieiunijs.
in vigilijs. in laboribus multis. Et hoc vt
in feſto beatitudinis eterne quieſcamus.
Apocalipſ. xiiij. Amodo dicit ſpiritus vt
requieſcant a laboribus ſuis. Et ſicut fa/
tuus eſſet qui in vigilijs vacaret a labore
et in feſto laboraret. ſic qui in preſenti ocia
tur vt in eternum laboraret quando alij
feſtiuabunt. Secundo tenemur laborare
propter penitentiā cōmiſſi ſceleris. Sicut
enim magna gratia eſſꝫ ruſtico ſi dominus
eū a ſeruitute perpetua abſolueret pro la/
bore vnius diei. ſic homini magna ſit gra
tia a deo ꝙ pro labore virtuoſo ſue penitē
tie dimittitur ſibi ſeruitus perpetua culpe
propter quaꝫ debuit in inferno perpetue
laborare. qui enim ſeruit peccato. ſeruus eſt
peccati. Iohānis. viij. Iuſtum eſt ergo vt
nos peccatores diem iſtum ſemel in ſepti/
mana. id eſt. tota vita noſtra laboremus. vt
a ſeruitute ꝑpetua die octaua reſurrectio/
nis noſtre liberemur. Tertio laborare te/
nemur in virtuoſis actibus propter vehe/
mentiā ꝓmiſſi muneris. Nam ſm̄ Rober
tum holgoth vbi ſupra. Cōſideratio mer/
cedis accendit amoreꝫ laboris. maxime ſi
attendat homo quia non niſi per laborē
venitur ad mercedē. Narrat ſextus Iuliꝰ
Strategematū libro. j. cap. xlj. Quod Cirꝰ rex
perſarum volens animos populariū con
citare ad bellū contra medos. tali vſus eſt
cautela. Duxit exercitum ad quandam ſil/
uam vbi populum tota die in maximis la
boribus occupauit in ſilua illa ſuccidēda
in craſtino vero iuſſit epulas lautiſſimas
ꝑparare et exercitū cum gaudio et tripu/
dio conuiuari. Et circuiens ꝑ turmas in/
terrogauit quis illorum dierū eis magis
placeret. Reſponderūt ꝙ dies ſecundus
placuit eis plus qꝫ ꝑmꝰ. Quibus ille ſub/
iūxit. Sicut ꝑ laborē heſternū ad hodier
nū ꝑueniſtis cōuiuiū. ſic felices beatiqꝫ eſſe
nō poteſtis niſi ꝑus medos viceritꝭ. Sic
moraliter nō poſſumꝰ ꝑuenire ad beatitu/
dinē niſi ꝑus hic deuincāꝰ medos. i. demo
nes actibꝰ ꝟtuoſis. nec ad cōuiuiū ꝑuenire
poſſumꝰ niſi ꝑ laborē ꝑſentē. Refert Boeti
us li. iiij. metro vltio hiſtoriā triū viroꝝ q̄
maxios labores ſuſtinuerūt ꝓ glā tpali cō
ſequēda. ſcꝫ Agamenon. Ulixes. ꝛ Hercu
les. Agamenō ita fuit ſtrēnuꝰ ꝙ Troiā de
cē annis vallās. finaliꝭ deuaſtauit. Ulixes
ita fuit fortis ꝙ Polliferū gigantē mono
culū q̄ omēs ſuos ſocios deuaſtauerat ꝑ
ſuā audaciā interemit. Tertiꝰ ſcꝫ Hercules
xij. ꝑicula. que lōgū eſſet enumerare ſuſti/
nuit. ꝛ viriliter finalꝭr triūphauit. Si ꝫ gē
tiles tāta ſuſtinuerūt ꝓ glā caduca fragili ꝛ
tpali. multo magꝭ nos ꝓ glā etna debemꝰ
omīa fortiter pati. et ſufferre labores ꝑſen
tis vite.

E

Dixi tertio ꝙ in verbis pre/
miſſis arguitꝭ hu
mana negligentia ex parte damni ſubſe/
quentis. cum dicitur ocioſi. Certe graue
damnū prouenit ex ocio. Sicut enim dicit
Hieronimus in epiſtola ad Demetriadē
nihil in ſctō ꝓpoſito deteriꝰ eſt ocio. q̄a nō
ſolū nō acq̄rit noua. ſꝫ etiā parta cōſumit.
Ecce damnū ꝗuiſſimū. Sūt aūt tria que
diſſuadent nobis ociū. ſcꝫ nat̄a. ſcptura. et
sctōꝝ exēpla. Et ꝑmo nat̄a diſſuadet ociū.
Deꝰ enim creat̄e tā corꝑales qꝫ ſpūales. tā
viſibiles qꝫ inuiſibiles. tā celeſtes qꝫ terre/
ſtres. tam ſupceleſtes qꝫ īfernales vſqꝫ ad.

diem nouiſſimū ſunt in quodā exercitio. ⁊
quaſi quodā miniſterio diuine ſeruitutis
vnūquodꝫ iuxta conditionē ſuam offici/
um ſuum implendo. Nam ſupcelestes an
geli non ſunt ocioſi ſed ſemꝑ laudāt deum
dicētes. Sanctus Sanctus Sanctus
dominus deus ſabaoth. ⁊c. Etiaꝫ quidā
corū mouent orbes celeſtes. vt dicit Hol/
goth Sapientie. xvj. Intellige. delectabi/
liter ſine pena ⁊ fatigatione. vt dicit philo
ſophus. x. methaphiſice. Quidam vero ſe
creta diuina inferioribus annunciant et
alios illuminant purgant et ꝑficiunt. Alij
vero vt inferiores ad nos in cuſtodiam ⁊
protectionē contra demones in mundum
diriguntur. vt dicitur ad Hebre. ſecūdo.
Omēs ſunt adminiſtratorij ſpiritus i mi
niſterium miſſi propter eos qui heredita/
tem capiunt ſalutis. Dicit Hozra. Omēs
de qualibet hierarchia prima media ⁊ in/
fima. licet non ſemper mittuntur de ſupe/
riori niſi ex cauſis ſpecialibus ſm eū. Se
cundo creature celeſtes. vt ſtelle. ſol luna.
et alia corpora ſunt in continuo motu et
nunquaꝫ quieſcunt. Iuxta illud. Oritur
ſol et occidit et in circulos ſuos reuertit.
ibiqꝫ renaſcens girat per meridiem. Et ſi
cui dubium eſt ſaltim per hanc rationem
de motu ſolis cōtinuo certificetur. Quia
eo moto creſcūt et decreſcunt et eo ceſſan/
te ceſſarent viuere. ſicut dicit Holgoth ſu
per librum Sapientie capitulo. vij. Un/
de Plotinus ſicut narrat Macrobius ſu/
per ſomnuꝫ ſcipionis libro primo verſus
fineꝫ. dicit ꝙ ſol eſt cor celi. ideo. quia ſicut
corde ceſſante a motu animal viuere non
poteſt. Ita nec ꝙcꝫ viuere poteſt motu ſo
lis ceſſante. Etiam luna moueri ex eo ar/
guitur. quia iſta inferiora motu ſuo nunc
humectantur nunc deſiccantur. ſicut di/
cit Macrobius in ſaturnalibus. prope fi
nem. Et ita de ceteris ſtellis verum eſt ꝙ
ſunt in cōtinuo motu. et curſus ſuos per/
agunt ſm determinata tempora. Tertio
creature medie. ſcilicet aeree. terreſtres. et
aquatice. ſunt in continuo exercicio. Nam
aer iſte eſt in continuo flatu et nunc inſpi/
ratur et nunc reſpiratur. nunc ad orientē.
nunc ad occidentem ventilatur. De quo in
Pſalmo. Qui producit ventos de theſau
ris ſuis. Aues vero in aere ſemper voli/
tant et circueunt mare et aridam. Aquā
ſemper fluit et refluit. omniaqꝫ flumina in
trant mare. et iterum fluunt de mari. Pi/
ſces maris qui perambulant ſemitas ma/
ris. quidam vadunt ad retia in vſum ho/
minum. quidā ludunt homini in ammira
tionē. et quidam in exercitationem. ⁊ qui/
dam in penam. Similiter animalia puſil
la cū magnis om̄ia ſuo modo laborant in
officijs eis iniunctis. licꝫ non laborāt pro
neceſſitate corporis neqꝫ nent. Math. vj.
Sic ergo om̄es creature deteſtātur ociū.
et amplectūtur laborem. ad exemplar ho/
mini oſtendendū. Inſuper. Om̄is ſpirit⁹
laudat dominū. vt dicitur in Pſalmo. cl.
Et ignis grando nix glacies ſpiritus pro
cellarum faciunt verbum eius. hoc eſt. of/
ficia iniuncta eis peragunt. F Se/
cundo ſcriptura diſſuadet ocium tam vete
ris ꝙꝫ noui teſtamenti. Et. j. Geneſis. ij. di
ctum eſt homini. In ſudore vultus tui ve
ſceris pane tuo. Secūdo Dauid dicit In
labore hominū non ſunt. Et ſequit. Ideo
tenuit eos ſuperbia. operti ſunt iniquita/
te et impietate ſua. Tertio Salomon di/
cit Prouerbiorꝫ. xix. Anīa diſſoluta eſuri/
et. Exponit Gregorius in paſtorali parte
tertia. Eſuriet. ſcilicet ſemper ſpargendo
deſideria per voluptates. Et iteruꝫ Pro/
uerbiorꝫ. xxj. idem dicit. ꝙ in deſiderio eſt
omnis ocioſus. Dicit em̄. Deſideria oc/
cidunt pigrum. noluerunt em̄ quicꝙꝫ man⁹
eius operari. Et Prouerbiorū. xx. Prop/
ter frigus piger arare noluit. mendicabit
ergo eſtate. et non dabitur illi. In nouo
etiam teſtamento ſaluator de ocioſo dicit
Et dyabolus inueniens eum vacantem.
dicit. Reuertar in domum meā vnde exi/
ui. Et ſic aſſumptis ſepteꝫ nequioribus ſe
ingreſſi habitant ibi. vt dicitur Math. xij
Ecce graue damnū ex ocio. ſcilicet ſuper/
bia. iniquitas. et impietas. eſuries et men/
dicitas. ⁊ ſuper om̄ia demonū ſocietas.
H Tertio ſanctorum exempla diſſua
dent nobis ocium ꝙꝫ veteris tam noui te/
ſtamenti. Et primo exemplum primi no/
ſtri parentis ꝙ expulſus de paradiſo habi/
tauit cōtra eden. ad ſignificandū ꝙ vt dicit
Aug. in li. de bap. paruulorꝫ. Et i laboribꝫ
ꝙ ſunt delicijs contrarij. erudiēda eſt caro
peccati. Eden em̄ iterpraꝫ ſedes deliciarꝫ.

Item Noe vir iuſtus in generatione ſua
centũ annis archam fabricauit . vineam
plantauit. et labores manuũ ſuarũ man/
ducauit Geneſis. vij. viij. et nono capitul.
Item Abrahã fuit tante prouidentie . vt
haberet boues aſinos ⁊ ſeruos plurimos
vt dicitur Geneſis. xij. et quod plus eſt tã/
tum diues erat vt ſcriptura de eo non ta/
ceret ſed diceret. ꝙ erat diues valde in poſ
ſeſſione auri et argenti Geneſis. xiij. in ꝓn
cipio. Iſaac quoqꝫ filius eius nõ ocioſus
ſed ſtudioſus et operoſus circa agrum ſe/
minauit in terra ſua . et inuenit illo anno
centuplum. Benedixitqꝫ ei dominus. ⁊ lo
cupleratus eſt homo. et ibat proficiens at
qꝫ ſuccreſcẽs donec magnus vehementer
effectus eſt. Habuitqꝫ poſſeſſionem ouiũ
et armentorum et familie plurimũ . Gene
ſis. xxvj. Sed et Iacob in ſeruicijs duris
ſeruiuit apud Laban auunculuꝫ ſuũ pro
duabus vxoribus paſcendo greges et fo/
diẽdo puteos annis quatuordecim. vt di/
citur Geneſis. xxix. Longum eſt pertranſi
re om̃es patriarchas qui paſtores ouium
ſe appellare non ſunt dedignati . vt patet
Exodi. Veniamus ad chriſtum caput no
ſtrum. et de ipſo quoqꝫ ſcribitur per pſal/
miſtam . Egenus et pauper ego ſum . Et
iterũ. Pauper ſum ego . et in laboribus a
iuuentute mea. Et ſi non credis audi q̃d
Iohannis quarto dicitur . Et Ieſus qui/
dem fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra
fontẽ. Fatigatio autem illa erat ex diſcur/
ſu predicationis . quo circuibat ciuitates
et caſtella docens et ſanans om̃es . vt dici
tur Marci ſexto. Sed nec minus apoſto
li hoc ipſuꝫ feciſſe leguntur. Petrus ſiqui
dem primo poſt vocationem etiam redijt
ſepius ad piſcationẽ cũ Iohanne et Ia/
cobo et filijs Zebedei. vt dicitur Luce. v.
et Iohannis. xxj. Paulus de ſe dicit . Et
operatus eſt manibus ne quenqꝫ de fide/
libus grauaret. Infiniti ſancti laboribus
victum queſiuerunt. Sed quid recenſeo
hiſtorias. breuiter cõcludo. ꝙ nõ niſi poſt
laborem aliquis ſanctorũ quieuit in celo.
ſiue ſit labor corporis. qui valet ad opera
pietatis Iuxta illud apoſtoli. Laboret au
tem magis manibus ſuis. vt habeat vnde
neceſſitatem pacienti tribuat. ſiue ſpiritua
lis. qui dicitur ipſe pietas que ad om̃ia va
let. ꝑma Thimo. iiij. Sicut ergo maxima
eſt vtilitas ex labore ſiue corporali. ſiue ſpi
rituali iuſtis prouenienſ. ſic maximũ da/
num reprobis ex ocio ſubſequens . Nam
dicit Bernhardus libro ſecũdo de conſi/
deratione. Ocioſitas eſt mater nugarum
nouerca virtutũ. Facit enim virum forteꝫ
precipitari in reatũ. et ſuffocata virtute nu
trit ſuperbiam et viam conſtruit ad gehẽ
nam. Ideo Hieronimus dicit. ſemper ope
ris aliquid facito vt te dyabolus inueniat
occupatum. Dyabolus eſt ſicut fur qui vi
dens equum ocioſum in campo . aſcendit
ipſum. non ſic autem occupatum labore .
Unde ocioſus eſt ſicut caſtrum ſine mu/
ro. quod ab hoſte capitur facile Et ſicut
terra ſine cultura. que ſpinas viciorũ pro
fert Et ſicut arbor autumnalis infructuo
ſa et mortua Et ſicut vinea neglecta. Ideo
fratres chariſſimi excuſſa negligentia la/
bori ſalutifero inſiſtamus . vt per virtutũ
exercitia poſſimus peruenire ad eterna ꝓ/
mia. Ad que nos perducat pater et filius
et ſpiritusſanctus Amen.

Dominica in ſeptuageſima. III
Sermo. XXXVI

# Ite et uos in ui

neam meam. ⁊ quod iuſtum fue
rit dabo vobis. Mathei. xx. cap.
Sicut dicit maximum ⁊ glorioſuꝫ lumen
omniũ eccleſiarum ſole ſplendidius bea/
tus Auguſtinus in libro de nouo canti/
co. Tria ſunt genera hominum que odit
deus. ſcilicet remanentes . retrocedentes.
et oberrantes . Excitandi ſunt remanen/
tes. retrocedentes reuocandi. errantes in
viam reducendi. tardi exhortandi. celeres
imitandi. Qui non proficit remanſit ĩ via
Qui forte ampliori propoſito declinat ad
illud quod deterius reliquerat reuerſus
eſt retro . Qui fidem deſerit a via errauit.
Hec Auguſtinus. Cum igitur in vita pre
ſenti multi remanentes retrocedentes et
oberrantes ſint. volens dei filius omnes
ad profectum ſalutis eorum dirigere hor/
tatur remanentes vt ad bonũ aſſurgant.
reuocat retrocedẽtes vt in incepto ꝓficiãt
et bonũ non deſerant . et errantes ad viã
reducit, vt rectis greſſibus in via ſalutis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

incedant. ac per hoc om̄es et ſingulos ad
ſalutarem laborem animás ſpe mercedis
et congruentie future hortatur dicēs Ite
et vos in vineā meā. et quod iuſtuȝ fuerit
dabo ꝛc. In quibus verbis tria deſcribū/
tur. Primo em̄ deſcribitur dei ammonen
tis benignitas. cū dicitur. Ite et vos. Se
cundo deſcribitur merendi oportunitas.
cum dicit᷑. in vineā meā. Tertio ꝓmittitur
premioꝝ eternoꝝ prompta liberalitas. cū
dr̄. quod iuſtū fuerit dabo vobis.

Dixi primo q̄ in verbis pre/
miſſis primo deſcribitur dei ammonentꝭ
benignitas. cum dicit ex perſona ſua. Ite
ꝛ vos. Reuera magna benignitas hortari
incitare ammonere ad ſalutē quos iuſticia
exigente poſſet in momēto etiā deprimere
in gehennā. Dicit ḡ Ite ꝛ vos. Parēdū eſt
huic āmonitōi ymo p̄ceptōi ꝓpter duo. Pri
mo ex parte p̄cipientis ꝓpter tria. Secūdo
ex parte noſtra ꝓpter alia tria. Ex parte p̄/
cipientis chriſti. ꝓmo ideo. quia eſt poten/
tiſſimus. vnde poteſt etiā inuitos cogere
ad eundū. Iuxta illud Heſter. xiij. In di/
tiōe tua cūcta ſunt poſita. ꝛ nō eſt q̄ poſſit
reſiſtere volūtati tue. Dn̄s em̄ omniū tu
es. Secūdo. quia eſt ſapientiſſimus. Vn/
de nihil poteſt p̄cipere erroneū. cū ſit ſapi
entia dei patris per quē fecit ꝛ ſecula. He/
bre. j. Et per quē attingit a fine vſqȝ ad fi/
nē fortiter ꝛ diſponit om̄ia ſuauiter. vt di/
citur Sapie. viij. Quia ipe eſt optim⁹. vn̄
nihil in eo maliuolum. Iuxta illud Luce
xv. ij. Nemo bonus niſi ſolus deus Quid
ergo reſtat ex p̄dictis niſi parere iuſſioni.
obtemperare p̄ceptioni ꝛ obſequi ſue am/
monitioni. Secūdo parendū eſt huic pre
ceptiōi ex parte noſtra. eo q̄ nō eſt aliqua/
lis excuſatio aut excuſatōnis occaſio i no
bis nō parendi. per quā iuſte et legitīe poſ
ſemus ab executione huius mandati excu
ſari. Et primo ratiōe cōmoditatis omniū
circūſtantiarū. ſcilicet temporis habitati/
onis et ſocietatis. Tempus ſiquidem in
quo nobis precipit eſt multum accōmo/
dum congruum et per omnia arridens. ſi
cut canit eccleſia hodie. Dies abſoluti pre
tereunt. dies obſeruabiles redeunt. tem/
pus adeſt ꝛc. De quo dicitur. ij. Corinth.
vj. Ecce nūc tempus acceptabile. ecce nūc
dies ſalutis. Ad quid autem acceptabile.

oſtendit Salomon Eccleſiaſtes. iij. dicēs
Tempus naſcendi. ſcilicet virtutes. ꝛ tem
pus moriendi. ſcilicet vicia. tempus plan/
tandi. ſcilicet bonas cogitationes. et tem/
pus euellendi. ſcilicet ſuggeſtiōes dyabo/
li. Tempus occidendi malam voluntatē.
et tempus ſanandi. id eſt. ſatiſfaciendi. ſcȝ
pro cōmiſſis delictis. Tempus deſtruen/
di. et tempus edificandi. deſtruendi mala.
edificandi bona. Vnde idem Salomon
hortatur Eccleſiaſtici. iiij. dicens. Fili ob/
ſerua tempus et declina a malo. Et oſten
dens quoſdam tempore abuti. dicit Ecc̄.
xx. Laſciuus et imprudens non obſerua/
bit tempus. Sunt autem quatuor quare
iſtud tempus vite preſentis eſt valde a no
bis obſeruandum. tum quia breue. tum
quia inſtabile. tum quia irreuocabile.
tum quia oportet de eo rationem reddere
Primo ergo quia eſt breue. non eſt inuti/
liter expendendum. Job. xiiij. Breues di
es hominis ſunt. j. Corinth. vij. Tempus
breue eſt. Sapientie. ix. Homo infirmus
et exigui temporis. Vetule peregrināṫes
non ſolent in via diu ſedere ſicut viri. quia
tarde ambulant. et quia tota dies quāti/
cūqȝ longa vix eis ſufficit ad attingendum
terminum ſibiipſis poſitum. Ideo ſcien/
tes ſuam tarditatem et temporis breuita/
tē cito feſtinant. Sic nos facere debemus
qui ſumus modo debiles ſicut vetule. pa/
tres noſtri erant gigantes velociter currē
tes. Ps̄. Exultauit vt gigas ad currendū
viam. Quod poteſt dici de quolibet ſan/
cto. qui erant nimis fortes in diuino ſerui
tio. propter abundantiam charitatis qua
feruebant ad deum. Nos vero in quibus
refriguit charitas. vt dicitur Math. xxiiij
in comparatione ipſorum ſumus vt locu
ſte fragiles et debiles. et ideo tempus no/
bis commiſſum valde debemus ponde/
rare vt vtiliter expendamus. Secūdo ob
ſeruandum eſt tempus. quia eſt inſtabile.
quia non poteſt diu ſeruari. et ideo ſtatim
eſt vendendum vel cōmutandum. Eccle/
ſiaſtes. viij. Tēpus velut vmbra preterit.
Et Sapientie. ij. Vmbre ſimilis eſt trāſi
tus noſter. Vmbra ita cito currit ſicut luc
que velociſſima eſt. Sic currit et tempus.
ideo breue eſt vt dicit philoſoph⁹. vj. phi/
ſicoꝝ. q̄ de tempore non habemus plus
niſi nūc vel inſtans. q̄ nō ſtans. q̄ nūqȝ in

eodem ſtatu permanet. Unde neſcio qua
ratione veru dicit homo de ſe in etate pro
uecta. habeo quinquaginta vel ſexaginta
annos cum nō habeat vnā diem neq; vnā
horā propter tranſitū precedentē ⁊ propt
fluxum preteritū qui nihil eſt in ſe. Unde
Ouidius. Labitur occulte fallaxq; volu/
bilis etas. Et nichil eſt annis velocius. ta
men quia labitur occulte multi nō aduer
tunt ꝙ pretereat tempus. Eccl. xi. Eſt qui
locupletatur parce agendo. et neſcit ꝙ tē/
pus pretereat et mors appropinquet ⁊ re/
linquat oīa alijs. Tertio obſeruanduꝫ
eſt tempus quia irreuocabile. Nam ſi quis
perdiderit diuitias poteſt recuperare eas
ſi ſanitatem poteſt recuperare omnia pre/
ter tempus. Reuerſio eīn finis noſtri con
ſignata eſt et nemo reuertitur Sapientie
ij. Et Job. xvj. Ecce eīn breues anni trāſ/
eunt. et ſemitā per quam nō reuertar am/
bulo. Unde Ouidius. Nec que prete/
rijt iterꝫ reuocabitur vnda. Nec que prete
rijt hora redire poteſt. Quarto eſt obſer/
uandū. quia de ipſo rationē debemus red
dere. Si eīn tuum eſſet poſſes damnū tu
um tollerare. nunc autē quia mutuo acce/
piſti oportet te de ipſo rationē ponere. idō
illud amittere non eſt damnū leue. Unde
Trenorū pmo dicit. Uocauit aduerſum
me tempus. Et Bernhard⁹ dicit. Omne
tēpus tibi impenſum requiretur a te qua
liter ſit expenſum. Et Anſelmus dicit. O
anima mea quid dictura es. Si enim ſer/
uus damnatur quia reddit pecuniam nō
multiplicatā. quid facturus eſt qui nec ha
bet quaꝫ referat. ymo illam amiſit. Quid
dicturus eſt qui ita negligenter cuſtodit.
qui nec dū ſcit vbi vel qualiter amiſit. O
quid dicturi ſunt illi qui dicunt hodie. de/
ducamus tempus in ſolacijs. O miſera/
bile ſolaciuꝫ quod ſequitur eternum ſup/
pliciū. De talib⁹ conquerit Job. xxiiij. De
dit ei deus tempus penitentie ⁊ ipſe abuti
tur eo. Hoc deberet ponderare noſtri cu/
rienſes conſumētes tēpus in iocis. vani/
tatibus ⁊ ludis. in voracitate. ebrietate. et
luxuria. quorū omniū villani ſunt melio/
res qui nūquā ꝑtereunt tempus. ymo cau
ſantur ꝙ eis nō ſupperat ad labores neceſ
ſarios. qui raro inueniunt vacare illicitis
Secundo parendum eſt huic preceptori
propter cōmoditatē habitatiōis loci. Ha
bitatio noſtra eſt in loco cōgruo ad laborē
⁊ apto ad operatiōeꝫ. qm̄ ſum⁹ in loco om
nib⁹ neceſſarijs ſufficiēti. ita vt null⁹ poſſit
dicere. nō ſufficiūt mihi pro labore alimē/
ta. nō veſtimenta. de his dn̄s ſollicitus eſt
pro nobis Math. vj. Hinc ꝓpheta ait. In
loco paſcue ibi me collocauit. Optima pa
ſcua nature doctrine ⁊ gratie. Quid ergo
reſtat niſi operandū. Uerum ⁊ ſi locus eſt
aptus ad tēpus. tn̄ multū timenduꝫ eſt ꝙ
nimis eſt ruinoſus. Unde Auguſtin⁹ in
quodā ſermone. Ecce ruinoſus eſt mūd⁹.
Et ſuper epiſtolā Johānis dicit idem. ꝙ
mundus tranſit et concupiſcentia eius.
Tertio ad parendū huic iuſſioni facit cō/
moditas ſocietatis. Multi eīn ſancti ſūt
fuerūt et erunt in eccleſia dei qui nobiſcū
collaborant. Unde circa primā tertiā ſex/
tam nonā et vndecimā horas exiuit domi
nus et cōducit vniuerſos in vineā Hebre.
x. Cōſiderem⁹ inuicē in ꝓuocatiōe carita/
tis ⁊ bonoꝝ operū. Et ſequit. conſolātes
tanto magis q̄nto videritis diē appropin/
quantē retributiōis. Ubi gloſa dicit. Sb
leuatio laboris eſt viſio collaborātiū. Caſſ.
ſup ps. lxxx. Perfecti viri cōmunib⁹ ſe hor
tant exemplis. ⁊ alter alteri⁹ vtutes imitā/
tes mutue dilectiōis ſe incēdio cōphēdūt.
Sic ecōtra mala ſocietas mltū ē ꝑiculoſa
Un̄ gloſa Prouer. ij. dicit. Malā ſocieta/
tē fuge. ne mala que aſpicis ⁊ corrigere nō
vales imitari incipias. Ex cōuictu enim
mores formant. quia qui tangit picē coin/
quinabitur ab ea.

B

Dixi ſecundo ꝙ in verbis ꝑ
miſſis deſcri
bitur meritorum humanorum fructuoſi/
tas. cum dicitur. in vineam meam. Sicut
dicitur Johan. xv. Chriſtus appellat ſe vi/
tem. diſcipulos autem ſuos palmites. Ex
quo oportet ꝙ ſit locus vitis et palmitis.
qui merito dicatur vinea. Hec autē eſt ec/
cleſia catholica in qua chriſtus vitis eſt. et
fideles ſunt palmites. Quiſquis ergo ve/
re vult fidelis appellari. neceſſe eſt vt ſit pal
mes verus et in vite manens. vt dicit ibi/
dem. et ideo dixi ꝙ hic deſcribitur oportu
nitas meritoꝝ noſtroꝝ. merita eīn noſtra
nullibi pn̄t eſſe fructuoſa niſi ī vinea dn̄i. i.
in eccl'a. eo ꝙ extra eccl'aꝫ nō eſt merēdi lo/
c⁹. q2 ibi nō hēt gr̄a nec ſpūſſctūs nec rmiſ
ſio pctōꝝ. j. q. j. rmiſſionē. ⁊ c. mltū. xxiiij. q. j.

Alienus. Si ergo qs vult mereri vitam
eternā oportet vt ſit in hac vinea. ꝛ cū hꝰ vt
ꝯiungat ꝛ adhereat viti xp̄o ſcꝫ ꝑ caritatē
xxiiij. q. iij. Cū qs. ꝛ. xciij. diſt. legimꝰ. Licꝫ
aūt vt puto ꝯueniēter in ſermōe p̄cedenti
aſſignauimꝰ ꝯuenientiā ꝛ ſimilitudinem
eccl'e ad vineā. ꝛ poſuimꝰ multiplicē diſtin
ctionē vinee. tn̄ pro aliquali edificatōne et
diffuſione iſtius materie h̄ ſolū de dupli/
ci vinea ſubiūgemꝰ. Eſt autē prima vinea
generalis omniū. ſcꝫ ſancta et vniuerſalis
eccl'a. Eſt ꝛ alia ſingularis et ſpecialis cu/
iuſlibet xp̄iani. ſcꝫ ꝯſciētia ꝓpria. Et Bern̄.
ſup cantica ſermone. xxxj. dicit ꝙ vinea ec/
cleſia ſancta eſt. in qua apoſtoli palmites.
dominꝰ vitis. et pater agricola eſt. In fide
plantata. in charitate radicata nutrita et
defoſſa ſurculis diſcipline. penitentiū la/
crimis rigata ſtercorata p̄dicantiū verbis
Et ſic ſano exuberans vino in quo eſt leti
cia. ſed non luxuria. vino totius ſanitatis
nullius libidinis. Hoc certe vinum letifi/
cat cor hoīs. hoc conſtat et angelos bibe/
re cum leticia. Deniqꝫ gaudent in peniten
tia ꝛ ꝯuerſiōe peccatoꝝ. ſalutē hoīs ſitien
tes. lacrime penitentiū vinum coꝝ. Hec il
le. De prima dr̄ in pſalmo. lxxix. Vineā de
egypto trāſtuliſti. Innoc. dicit. Vinea do
mini eſt eccl'a ꝓpter ſex cauſas. Primo ꝓpt
inutilitatē ligni abſciſi. Non eīn vtile eſt
lignū vitis abſciſum niſi ad cōbuſtionem
Sic homo abſciſus ab eccleſia Ezech. xv
Fili hominis q̄d fiet de ligno vitis ex om
nibus lignis nemoꝝ que ſunt inter ligna
ſiluaꝝ. Nunquid tollet̄ de ea lignū vt fiat
opus. aut fabricabit̄ de ea paxillus vt de/
pendeat in eo q̄dcūqꝫ vas. Ecce igni datū
eſt in eſcam. Hac rōne eccl'ia dicitur fons
a quo ſi qs p̄ciſus ē areſcit. xxiiij. q. j. Om/
nibꝫ. Secūda ratio quia vinea tormento
fructificat. ſcꝫ in foſſione terre et abſciſiōe
ramuſculoꝝ. Si autem in pace dimittit̄
tunc degenerat et non facit fructum. Sic
eccleſia tribulationibꝫ ꝛ oppreſſionibꝫ ma/
gis magiſqꝫ fructificat. Unde dominꝰ cō/
querens de vinea iſta dicit Iſaie. xxvij. In
prelio gradiar ſuper eam. ſuccendam eam
pariter. quaſi di. Parum fructificat in pro
ſperitate. ſed ego faciā eam fructificare in
aduerſitate. Et tangit conſuetudinē qua/
rundam regionū. in quibuſdā locis mul/
tiplicantur vinee ꝙ quaſi in ſiluas degene
rant. et tunc homines comburunt eas. et
poſtea optime fructificant. Tertia ratio.
quia ſola vinea vinum habet. Sic ſola ec/
cleſia vinū doctrine ſalutaris habet. Un/
de dicit eccleſia Canticoꝝ. viij. Dabo tibi
poculum ex vino condito. Uinum condi
tum dulce eſt et medicinale. Mathei. vij.
Nunquid colligunt de ſpinis vuas. quaſi
diceret. Non habetur ſalutaris doctrina
a iudeis aut gentibꝫ aut hereticis. ſed tm̄
ab eccleſia. Quia de illis dicitur Deutro/
nomij. xxxij. Fel draconum vinū eorum.
et venenum aſpidū. Quarta ratio. quia ex
pinguedine debilitatur vinea et luxuriat.
Sic in vinea eccleſia ex abundantia tem/
poralium naſcitur luxuria in palmitibꝫ
ſcꝫ in clericis. et ex hoc debilitatur et inſi/
pidum fit vinum. id eſt. doctrina eccleſie.
Quia multis poteſt dici illud Romanoꝝ
ij. Qui predicas non furandum furaris.
qui dicis nō mechandum mecharis Iſa.
p̄mo. Uinum tuū mixtum eſt aqua. id eſt
carnali voluptate inſipidum factū. Sed
olim dicebatur canticoꝝ. vij. Guttur tuū
ſicut vinum optimū. Guttur ſunt predica
tores. Sed modo vtinam bonum eſſet
guttur eccleſie quod tunc fuit optimum.
Quinta ratio. quia vinea radicata inter pe
tras in eminenti loco in radijs ſolis me/
lius vinū facit. Sic illi de eccleſia qui fun
dati ſunt et firmati in duricia penitētie. in
eminentia vite. in feruore charitatis. me/
lius docent et operantur. Hieremie. xxxi.
Adhuc plantabis vineam in montibꝫ Sa
marie. Samaria interpretatur cuſtos do
mini vel coniūcta domino. Et penitentia
et charitas coniungūt hominē deo. et deū
habitum cuſtodiūt Math. iiij. Peniten/
tiam agite appropinquabit vobis regnū
celorum. Iohannis. xiiij. Si quis diligit
me ſermonē meum ſeruabit. et pater meꝰ
diliget eum. et ad eum veniemꝰ. et manſio
nem apud eum faciemus. Ecce cuſtodia
domini. Sexta ratio eſt. quia ſicut vinea
paxillis ꝛ baculis. ita eccleſia dei et ſancto
rum adiutorio celeſtium deſideriorum al
ligata et recta tenetur. Un̄ ſponſa loquēs
ſanctis. id eſt. amicis ſponſi Canticoꝝ. ij.
dicit. Fulcite me floribꝫ. ſtipate me malis.
quia amore langueo. Deſideria eternoꝝ
ſunt flores. ex quibꝫ fructus bonoꝝ ope/
rum ſequunt̄ Eccl'i. vj. Uincula illius ſunt

alligatura ſalutaris. Recte ḡ eccleſia cōpa
ratur vinee. de qua vlterius dr̄. tranſtuliſti
ſcꝫ de infidelitate ad fidem. de errore in ve
ritatē. de prauis moribꝫ in ſanctā cōuerſa
tionē. eieciſti gētes. i. ſupbos et voluptuo/
ſos. et idolatras auaricie reprobaſti. ⁊ plā
taſti eam. ex humilibꝫ et abiectis. i. Cor. i.
Uidete vocationē veſtrā fratres. quia nō
multi nobiles. nō multi ſapientes ſm̄ car/
nem. nō multi potentes. ſed que ſtulta ſūt
mūdi elegit de⁹. In hac ergo vinea cuili/
bet eſt operandū Iuxta illud Gal̄. ſexto.
Dum temp⁹ habem⁹ operemur bonū ad
oēs. Opus autē vinee eſt vt plantet᷑ per
plātos et pdicatores. i. Cor. iii. Ego plan
taui. apollo rigauit. Hiere. i. Conſtitui te
vt euellas nociua ⁊ errores. deſtruas ⁊ di
ſperdas. ſcꝫ prauos mores. et diſſipes oc/
caſiones. edifices ad fidē. et plātes ad vir
tutes. Iſta vinea. id eſt. eccleſia hꝫ vulpes
ipam deſtruētes. de quibꝫ in canticis dici
tur. c. ii. Capite nobis vulpeculas paruu/
las que demoliunt᷑ vineas. Uulpecule ſūt
heretici. quia callidi fedi et indomiti. ſm̄
Thomam ibidem. Paruuli falſe humili/
tatis fictione. creſcentis doli ſuſpitione.
velata veritate. Uel paruas ſm̄ Gorram
id eſt. in ipo inicio fraudis. ne maiores ef/
fecte amplius noceāt. cum ſcꝫ creuerit in
dolo. Uel paruule. quia viles ſunt q̄ demo
liunt᷑ vineas. i. pcipicia faciūt. i. ſuffoſſiōes
Uel demoliunt᷑ vineas falſa ſcripturarū
expoſitione. peſtifera conuerſatione. erra/
tica predicatione. ¶ C ) Sed diceres
Math. xiii. dr̄. Sinite vtraq̄ creſcere. Re
ſpondeo hic ſm̄ Thomam ſup Cantica.
Uerū eſt. ſi eſt ſpes de correctōne eoꝝ per
mittendi ſunt. accepta ab eis cautiōe de fi
dei cultu. alias ſi nō eſt ſpes de correctiōe
tūc non ſunt pmittendi viuere. Sed no/
ta ſupra quomodo ſunt capiēdi. Certe tri
pliciter. retibus. ſagittis. et canibꝫ. Retibꝫ
id eſt. ſententijs ſcripturarū. Sagittis. id
eſt. pfectione exemplorū bonorū. Canibꝫ
id eſt. ſagacitate ſubtiliū diſputationum.
Secūdo fodit᷑ vinea p confeſſores. Unde
Ezechiel. viii. dicit᷑ confeſſori. Fode parie
tem. Et cū fodiſſem. et ecce oīs ſimilitu
do reptiliū. quia poſt diligentē inquiſitio/
nem in cōfeſſione apparent reptilia viciorꝫ
Tertio purgat᷑ p prelatos Io. xv. Oēm
palmitē nō ferentem fructū abſcidet eum.

et omnē qui fert fructū. purgabit eum vt
fructū plus afferat. Purgatio iſta fit p iu/
ſticie falcem. Unde Canticorū. ii. Temp⁹
putatiōis aduenit. Sed diceres. q̄re pur
gat palmitē ferentē fructū. Reſpondeo p/
pter duo vt plus ferat fructū. et cū hoc qꝛ
ab omi vicioſa ſpecie nō ſolū ab ipſo vicio
cauendū eſt. Unde et ſi non eſt malicia in
palmite. tn̄ forte eſt ſpecies vel occaſio ni/
ſi purget᷑. Hinc apl̄us dicit. i. Theſſa. vlti.
Ab omi ſpecie mala abſtinete vos. Quar
to edificat᷑ vinea p viros iuſtos. Iſaie. v.
Sepiuit eam ⁊ edificauit turrim ⁊ torcu
lar extruxit in ea. Sepes eīm eſt munimē
tum bene operantiū. quo ſepiunt᷑ ne exter
minent᷑. Torcular paciencia. Turris con
templatio Uindemiatores eius ſunt an/
geli. Apocalipſ. xiiii. Miſit angelus falcē
in terram Math. xiii. Meſſores angeli q̄
colligent zizania a tritico et ſeparabūt ab
inuicē in fine mundi. ¶ D ) Secunda
vinea eſt ſingularis. id ē. cōſciencia cuiuſli
bet iuſti. Et neglector hui⁹ vinee ſic incre/
patur p Salomonē Prouerb. xxiiii. Per
agrū hominis pigri tranſiui. ⁊ p vineā vi/
ri ſtulti. Et ecce totū repleuerant vrtice et
operuerāt ſupficiem eius ſpine. ⁊ maceria
lapidū deſtructa erat. Sed q̄d de malicia
vinee dicim⁹ nondū bonitatē eius audien
tes. Eſt etiā ſciendū qꝫ ſm̄ Bern̄. ſup can/
tica ſermone. lviii. et. lxiiii. Uinea cuiuſli/
bet hominis eſt ſua ↄſciencia. in qua fides
eſt vitis. virtutes palmites. botrus opus
deuotio vinū. Et eſt vera ſimilitudo. Nā
ſicut dicit Bern̄. ſermone. lxiii. vbi ſupra.
Nec abſq̄ vite palmes. nec virtus ſine fi/
de aliquādo. Sine fide eīm impoſſibile eſt
placere deo. Hebre. xi. In hac ergo vinea
vt dicit ſermone. lxiii. Bern̄. nihil incultū.
nihil deſertū debet ſapiēs derelinquere.
Stultus vero iſta cūcta apud eū neglecta
inueniēs. cūcta iacentia. inculta ⁊ ſordida
nō eſt vinea. Stulto quō vinea eſt. vbi nil
plantatum nil elaboratū. nuſq̄ paret. tota
ſpinis ſilueſcat et tribulis. Stulti vita et
vinea ſi fuerit. iam eſt redacta in ſolitudi/
nē. vbi vitis ꝟtutis. vbi botr⁹ boni operis
vbi vinū leticie ſpūalis. Qꝫ ḡ irridet ſapi/
ens. vt dictū eſt ſup. vineā ſtulti ſignificat
ſm̄ Bern̄. qꝫ bona nature et grē que forte
p lauacrū regenerationis acceperat tanq̄
que plantauit de⁹ et non homo primā ſuā

vineā.in nō vineam.iſte negligendo rede/
git.deniqȝ nō pt vinea eſſe. Nam ſtultus q̄
viuit.mortez potius amat.vt dicit Bern̄.
q̄ȝ vitā. Quō vita cū ſterilitate.arbor ari/
da ꝛ in ſterilitatē verſa.nōne mortua iudi/
cat̄.ſic ſtult⁹ eoipſo ꝙ inutiliter viuit mor/
tuus eſt. Soli ergo ſapienti ꝯuenit habe
re vineā vel eſſe vineā.q̄ vitā hȝ ꝛ lignū fru
ctiferū in domo dei Et ſequit̄ poſt pauca.
Bona vinea.iuſti bona vita.ymo bona vi
nea iuſtus.cui virt⁹ vitis.cui palmes actio
cui vinū teſtimoniū cōſcientie.cui lingua
torcular expſſionis. Iſta vinea debet cu/
ram gerere de duob⁹.ſcȝ de frequēti puta/
tione ꝛ de cuſtodia forti. De pͥmo ptȝ. Nā
putatio ꝯſcientie adeo eſt neceſſaria ſemp
vt nō modicū periculū faciat modica ne/
gligentia Et in h̄ rep̄hendit̄ur quorūdam
falſa ſecuritas q̄ ſe putant pauca vel nul/
la emendatione digna habere.cū tn̄ dicat
Bern̄.ſup cantica ſermone.lviij. Quis ita
ad vnguem oīa a ſe ſupflua reſecauit vt
nil ſe habere putet dignū putatione. Et ſe
quitur. Credite mihi et putata repullulāt
et effugata redeunt.ꝛ reaccendunt̄ extīcta
ꝛ ſopita denuo excitant̄. Parū eſt ergo ſe/
mel putaſſe quod ſepe putandū eſt.ymo ſi
fieri poſſet ſemp qꝛ ſemp q̄d putari opor/
teat ſi nō diſſimules īuenis. Et ſequitur.
q̄ntūlibet in h̄ corpore manēs profeceris.
erras ſi vicia putas emortua.non magis
cōpreſſa. Hec ille. De ſecūdo q̄uo neceſſa
ria eſt fortitudo cuſtodie dr̄ Threnoꝝ.iij.
Edificauit i giro meo ꝛ circūdedit me fel/
le et labore. Ecce bonus murus.labor cō
tinu⁹ et afflictio carnis. Hec eī̄ cuſtodiūt
ꝯſcientiā. Iuxta illud Caſtigo corp⁹ meū
et in ſeruitutem redigo. O bona vinea ſic
plantata ſic putata ſic fortificata. Quiſq̄s
ita viuit vt bona plantet ꝛ etiāȝ diligenti⁹
ꝯſideret cuſtodiatqȝ.bonus eſt vindemia
tor. Dicit autē Bern̄.ſup cantica ſermone
lxiij. Et maxime cauendū eſt vinee a vul/
pibus. Iuxta illud. Capite nobis vulpe/
culas paruulas que demoliuntur vineas
Vulpes eī̄ intelligit detractores et adu/
latores. Detractor occulta vulpes.ſȝ adu
lator manifeſt⁹.a quib⁹ vulpib⁹ cauenduȝ
eſt.quia adulator et detractor capiēdus ē
beneficijs atqȝ obſequijs.monitis ſaluta/
rib⁹ ꝛ orationib⁹ ad deū.quouſqȝ ꝛ detra/
ctor inuidiā et adulator ſimulatōeȝ depo/
nat. Hec Bernhardus.

Dixi tertio ꝙ in v̄bis pͥmiſſis
deſcribitur pͥmio/
rum eternoꝝ cōgrua liberalitas.cum dicā
tur.quod iuſtū fuerit dabo vobis. Premi
um iſtud eſt denarius diurn⁹.id eſt.eter/
na beatitudo.que finē nō habet.ꝛ dat̄ om
nib⁹ in hac vita bene laborātib⁹. Licet aūt
ſit iuſta et equa merces iſta ſanctoꝝ et pre/
miū beatoꝝ quo ad congruentiā.eo ꝙ con
gruū eſt vt illis detur quies in futuro qui
laborauerūt in p̄nti. Iuxta illud Apocal.
xiiij. Amodo dicit ſpūs vt requieſcāt a la/
borib⁹ ſuis. Et ſequitur. Opera eī̄ illoꝝ
ſequunt̄ illos. Hoc etiā addit eccleſia ſm̄
quoſdā.et iuſtū eſt.vt qua menſura menſi
fuerint.h̄ deo ſeruiēdo vt eadem remetia
tur eis in futuro.cū deo cōregnando Lu
ce.vj.tamen nō eſt equalitas pͥmij ad meri
tū q̄ntum ad condignū. Ex condigno eī̄
importat equalitatē premij ad meritū ſm̄
rectā extimationē. Sȝ congruū ſolū ſm̄
liberalitatē donātis.ſm̄ q̄d decet cū dare
ex congruo.quia decet liberalitatē dei vt
oīm q̄ ſe nō ponit obicem vitā eternā tri/
buat. Dicit Thomas in ſcd̄o ſniaꝝ diſtin.
xxviij.q.iij. De hac mercede et pͥmio dicit̄
Gen̄.xv. Ego merces tua magna nimis.
bene dicit magna nimis. Erit eī̄ magna
ſupra meritū.ſicut dn̄s pͥmittit cētuplum
accipietis ꝛ vitā eternā poſſidebitiſ Iaco.j.
dat omib⁹ affluēter. Plus eī̄ dat q̄ȝ aliq̄s
mereat̄. Sapie.iij. In pauc̄ vexati i mlt̄
bn̄ diſponet̄. Romanoꝝ.viij. Nō ſūt con/
digne paſſiōes h⁹ tpis ad futurā glaȝ. Bn̄
dicit.nō ſūt ꝯdigne.qꝛ ſunt ſup ſperatum
Phil.iiij. Par dn̄i exupat oēȝ ſenſū. Ideo
dr̄ Iſa.lx. Tūc videb̄ et afflues ꝛ mirabit̄
ꝛ dilatabit̄ cor tuū. Mirabit̄ āt bō qꝛ ſup
q̄ȝ ſpauit accipiet a dn̄o.iij.Re.x. Nō crede
bā narrātib⁹ donec ipa venirē ꝛ viderem.
Itē ſup deſideratū.vn̄ Salomōi dictū ē
iij.Re.iij. Hec q̄ nō poſtulaſti dedi tibi ſcȝ
diuitias ꝛ glaȝ. Itē ſup cogitatū.j.Coꝛ.ij.
Ocul⁹ nō vidit.nec aurī audiuit nec in cor
hoīs aſcēdit q̄ de⁹ p̄pauit diligētib⁹ ſe. De
his q̄tuor dr̄ Lu.vj. Mēſurā bonā.ecce p
mū.ꝛ ꝯfertā.ecce ſcd̄m.ꝛ coagitatā.ecce ter
ciū.ꝛ ſupefluentē.ecce q̄rtū.dabūt in ſinū
v̄rm. Cogita q̄d vis.exopta.deſidera.ſupe
rat et excedit oīa illa felicitas.illa eternitas.
illa btitudo. Ad quā nos p̄ducat.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN